



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1656**

§. 87. Et Venit. v. 37.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

to perseverarem, nec exirem cum Adam utinam semper horum primorum custos permanerem, & custodirem istum novum paradysum: pro perditio primo. Utinam magis operer illum. quam bone mihi foret tunc ad vesperam, quando operarijs dabitur sua merces. Eia anima mea perseveremus in hac custodia,

§. 87. *Et Venit. v. 37.*

Puillum progrediente Iesu à discipulis nec una hora potuerunt vigilare eo absente nauseantes ob melancholica audita & naturalem fatigationem cerebri unde nervi sensuum toto die distenti, procedunt, qui requies egent certis temporibus. quid facit interea Dominus & magister eorum? Oravit, intentè neque tamen illorum, qui se obliuiscabantur curam deposuit. nam oratione iam semel facta, ecce venit, visit, curat. O pietas singularis Dei mei super filios Adam! non latebat eum dormire discipulos, sed inuisere voluit ut ostenderet eis se curam eorum habere tantam, ut in maximis curis suis eorum non deponeret memoriam. Bene hunc spiritum Christi penetrauit Sancta Mater Ecclesia Romana, quæ in Liturgia sua cum Deo solo loquens, & agens tamen ordinavit S. Petro docente eum, ut memoria fieret & vivorum & mortuorum, & Sacerdos se identidem ad populum convertens dicat: Dominus vobiscum: Orate, sursum corda &c.

**V**eni Domine etiam ad nos, & noli tardare relaxa facinora plebi tuæ, veni Domine Iesu Christe, veni & visita nos in pace, veni & educe vincetos de carcere, de somno, de nocte, ut latemur coram te corde perterrito, veni Saluator noster, veni desideratus cunctis gentibus, ostende faciem tuam & salvi erimus, veni lux mea, redemptor meus excita me ad confitendum nomini sancto tuo. Quamdiu miser iactabor in fluctibus mortalitatis, meæ clamans ad te, Domine, & non exaudis? audi clamantem Domine de hoc mari magno & adduc me ad portum felicitatis æternæ.

§. 88. *Et inuenit eos dormientes. v. 37.*

Si Dominus & Magister noster Christus hodieque aut in dies veniret corporaliter ad Orationes Christianorum, quas aut in cubiculis suis, aut in Ecclesia tractant, si ad Conciones, si ad cellas & officinas religiosorum, si ad ædes Ecclesiasticorum, si ad curias Episcoporum accederet, quantos non & quot dormientes inueniret, prælatos? quot subditos? credo pene tunc renouandam querelam veterem: Omnes declinauerunt, simul inertes facti sunt. Nos tamen tales, miramur Apostolos una hora non vigilasse cum Domino, dicimus intra nos: si fuisset in diebus illis: somnum non dedisset.